

Decreto de la Signatura Apostólica de 22 de septiembre de 2005

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

Prot. n. 37106/05 CA
ILERDEN.

Iurium: Recursus adversus decretum Congregationis pro Episcopis diei 26 februarii 2005.

Praeliminaris: Suspensionis
(Exc.mus Episcopus Ilerdensis-Congregatio pro Episcopis)

Cum Exc.mus Legatus Pontificius in Hispania Commissioni ad executionem decreti diei 29 m. Iunii a. 1998 deputatae executorem singulum per decretum diei 10 m. Ianuarii a. 2005 suffecisset, Exc.mus Episcopus Ilerdensis remonstrationem prius, recursum hierarchicum apud Congregationem pro Episcopis dein interposuit ac postremo die 11 m. Aprilis a. 2005 ad H.S.T. provocavit.

Cum Exc.mi Praesulis Patrona, die 13 m. Iulii a. 2005, iisdem argumentis ac in recursu hierarchico ab Exc.mo Episcopo Ilerdensi adductis, ab H.S.T. petiit ut decreti impugnati executio suspenderetur.

Re cum Congregatione pro Episcopis ad normam art. 113 § 1 *Normarum Specialium* communicata ac eiusdem Dicasterii responsione una cum quibusdam documentis die 24 m. Augusti a. 2005 accepta, Rev.mus Promotor Iustitiae Substitutus votum suum prompsit.

Quibus praehabitis,

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

Considerato quod recursus penes hoc Supremum Forum fumo boni iuris gaudere haud videtur; nam

- haec Signatura Apostolica die 25 m. Aprilis a. 2005 in limine decrevit eundem recursum considerari non posse utpote extra terminum preemptorium positum;

- subordinate autem, Exc.mus Legatus Pontificius, exsecutor in re natus, iure suo utitur cum executionem alii ipse tradat vel revocet;

Perspecto quod nullum damnum, quod reparari nequeat, Exc.mo Episcopo infertur ex decreti impugnati executione; nam decisiones cl.mi Viri, cui demandata est executio, eadem vi pollent ac illae pristinae Commissionis, etiam ad earundem firmitatem quod attinet (cf. Exc.mi Nuntii Apostolici decretum diei 27 m. Ianuarii a. 2005, n. 4, p. 6; Congregationis pro Episcopis epistula diei 24 m. Augusti a. 2005, n. 3, p. 2);

Perpenso quod ceterae rationes adductae impares videntur ad impugnati decreti suspensionem obtinendam in casu;

Vi art. 113 *Normarum Specialium* H.S.T.;

Re sedulo examini subiecta in Congressu coram infrascripto Praefecto die 22 m. Septembris a. 2005 habito,

DECREVIT: Petitam suspensionem non concedi.

Quod notificetur iis quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 22 m. Septembris a. 2005.

Augustinus Vallini, Praefectus.
Velasius De Paolis, c.s. Secretarius.